DE INEFFABILI
TRINITATIS
MYSTERIO
ORATIO
Habita in Sacello Pontificio
AD SANCTISSIMUM D. N.
CLEMENTEM XIII.
PONT. MAX.

A COMITE CAJETANO STAMPA
PATRITIO MEDIOLANENSI
Collegii Clementini Convictore.

ROMÆ MDCCLXI.
Ex Typographia Chracas, propè S. Marcum in via Cursus.

SUPERIORUM PERMISSU.

Sanctiſſimo Domino Noſtro

CLEMENTI XIII.

PONTIFICI MAXIMO

CAJETANUS STAMPA

FELICITATEM.

Uiſquis, BEATISSIME PATER, *mei conſilii cauſam, rationemque cognoverit, una & id, quod facio, probabit, & in hac occaſione, fortunaque mea neminem mihi eſſe præponendum judicabit. Nam ſi egregiæ indolis juvenes, antequam Spartæ, quam nacti eſ-*

ſent, ornandæ ſe accingerent, comæ primitias ſacrare conſueverunt; quis mihi jure ſuccenſeat, ſi rudimenta adoleſcentiæ jam jamque poſiturus, novumque vitæ ſtadium curſurus, priuſquam me in adſpectum, lucemque proferam, quam perbrevem Orationem auribus accipere non es dedignatus, hanc tuis pedibus advolutus Tibi humillime offerendi honore per quam maximo afficiar, & integerrimo Chriſti Vicario tanquam votum nuncupandi pro nova vitæ ratione ſuſcipienda, atque ingredienda? Nec ſane in dubium vocare mihi unquam penitus inſedit, quin Tu hoc parvum obſequii mei, religioniſque munus ea, qua polles, benignitate complectaris, cum pulchre noverim ſummo Hebræorum Sacerdoti, cujus Tu perſonam non ſuſcepiſti modo, ſed illi quoque tam longe dignitate excellis, quam Moſaycæ legi præſtare Chriſti Gratiam ſcimus, unum quemque diem fuiſſe a Deo deſtinatum, quo ipſe oblatas quarumcunque rerum primitias a quibuſvis hominibus exciperet. Nulla

autem

autem de virtutibus tuis plurimis nec gratior, nec admirabilior pietate, & benignitate eſt. Illa Pontifex ex hominibus aſſumptus (a) *pro hominibus conſtitueris in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offeras dona, & ſacrificia pro peccatis; adeaſque cum fiducia* (b) *ad thronum Gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hac vero proximos Deo honores occupas: homines enim ad Deum nulla re propius accedunt, quam beneficentiſſimam erga alios benevolentiam habendo. Nihil porro habet nec dignitas tua majus, quam ut poſſis, nec natura tua melius, quam ut velis omnibus conſulere, & opem, & ſalutem ferre. Hanc meam igitur, quantulacunque eſt, lucubrationem, quam Tibi ad pedes ſtratus do, dono, & dico, ne Tu aſperneris vehementer precor. Interim dum a D. O. M. enixe peto, ut omnibus tuis rebus agendis, quod bo-*

 num,

(a) Ad Hebræ. 5. 1.
(b) Ibid. 4. 16.

num, felix, faustum, fortunatumque sit, id ipsum eveniat, ne Apostolicam tuam Benedictionem mihi, & contubernalibus meis, totique Collegio Clementino deneges, etiam atque etiam rogo.

ORA-



ORATIO.

ARcanum Trinitatis Sacramentum, Beatissime Pater, divina, ac proinde certa ſignificatione conſtare lætor, cum vetera, & nova memoria repeto, quæ in Dei naturam, atque unitatem prophani homines objecere. Non enim affirmem in Pythagoreis ſomniis, chartiſque Socraticis nonnulla reperiri veſtigia; ſed illud teſtor non in nupero ſolum Teſtamento perſpicue denuntiari, verum etiam in priſco quaſi adumbratum videri. Hinc qui Demiurgum, quive duo Principia inter ſe repugnantia comminiſcebantur, ii merito damnantur: quinetiam non modo Ebionitæ, Samoſateni, Artemonitæ, qui ſecundam Trinitatis Perſonam Deum eſſe; & Macedonii, Ariani, Eunomitæ, qui Spiritum Sanctum aut Patri æqualem, aut a Patre, Natoque procedere infi-

inficiati ſunt; ſed & recentes Deiſtæ, qui, quæ de Deo prædicantur, ea vel impudenter negantes, vel perperam pronuntiantes, a TRINITATIS fide immane quantum diſcrepant! Quare eam ſapienter ſanctiſſimæ (*a*) religionis fundamentum, & veritatis vinculum nonnulli vocarunt: Tibique in primis hoc hæret animo ita infixum, ut in majus hujuſce cultum provehere conſtitueris. Cum autem altiora me quærere (*b*), majeſtatemque ſcrutari vetet (*c*) Sapiens, ne opprimar a gloria; & coram ipſo Sacerdotii ſplendore magis pœniteat cœpiſſe, quam liceat deſiſtere; quid minus indecore oſtendam, quam totam TRINITATEM in noſtræ reparationis, atque ſalutis opus concurrere?

Ac ut ratio hoc evincat, animadvertendum eſt longe plurimum videri in humani generis ſanctificatione, quam in Mundi ædificatione Deum negotii habuiſſe. Atqui vel ex rerum, quæ nobis ante oculos obverſantur, opificio Spiritus cum Patre, & Filio communionem haud obſcure cognoſcimus. Quoad cœleſtes enim intelligentias, creationis modus ſilentio eſt prætereundus, quem ipſe Moſes tacuit, & tacendum putavit. Quanquam ſi inviſibilia (*d*) a creatura Mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, glorificemus oportet conditorem, in quo condita (*e*) ſunt univerſa in cœlis, & in terra viſibilia, & inviſibilia, ſive throni, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates, & ſi quæ aliæ ſint rationales naturæ, quæ nomine careant. In horum

(a) *Bernardus Zane Archipræſul Spalatenſis Orat. hab. in I. Seſs. Conc. Later. ſub Julio II. ex Collect. Labe. Tom. XIX.*

(b) *Eccleſiaſt.* 3. 2. (c) *Prov.* 25. 37. (d) *ad Rom.* 1. 20.

(e) *ad Coloſs.* 1. 16.

horum autem creatione vult Magnus Basilius (*a*) principem eorum causam, quæ fiunt, Patrem a nobis considerari, efficientem Filium, perficientemque Spiritum Sanctum; ut Patris voluntate administrent, actione Filii existant, Spirituque præsentia perficiantur. Angelorum vero perfectionem esse sanctificationem, & in hac perseverantiam nemo non videt. Quamobrem si hominem (*b*) minuit Deus paulo minus ab Angelis, quis ibit inficias tres TRINITATIS Personas ad nos sanctificandos consociari? Ii enim, qui natura, (*c*) filii iræ sunt, quomodo renasci possent ex aqua, & Spiritu Sancto; aut qui servierunt (*d*) creaturæ potius, quam creatori, qui est benedictus in sæcula, quomodo sua membra exhiberent servire justitiæ in sanctificationem (*e*), sicut exhibuerunt membra ipsa servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, nisi Deus, qui potentiam suam parcendo maxime, & miserando manifestat, ipse quidem possit, sciat, velit illos convivificare in Christo, & conresuscitare (*f*), & consedere facere in cœlestibus in Christo Jesu, in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super eosdem ostendens? Nam profecto quid aliud est, quam Patris Omnipotentia, quæ nostras rebelles compellens voluntates, simul & ea, quæ velit, jubere, & quæ jubeat, eadem ut faciamus præstare possit? Quid aliud est, quam Sapientia Filii, quæ visitans nos oriens ex alto (*g*), illuminare eos, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent, vocatosque de

(a) *Lib. de Spir. Sanc. cap.* 16. (b) *Psal.* 8. 6. (c) *ad Eph* 2. 3. (d) *ad Rom.* 1. 25. (e) *ibid.* 6. 19. (f) *ad Eph.* 2. 5., *& seq.* (g) *Luc.* 1. 78. *&* 79.

de tenebris in admirabile lumen ſuum (*a*) in viam pacis dirigere ſciat? Denique quid aliud eſt, quam Bonitas, dilectioque Spiritus Sancti, quæ auferens cor lapideum (*b*) de carne hominum, cor mundum creare velit in eis (*c*) Spiritumque rectum in eorumdem viſceribus innovet?

At ne quis forte credat tres a me originales hypoſtaſes poni, operationemve Filii, aliarumve Perſonarum TRINITATIS mancam mihi, atque imperfectam eſſe videri. Quæ etenim ſunt, eorum unum eſt initium per Filium condens, & in Spiritu perficiens. Itaque veluti ex catena, ut ait idem Baſilius (*d*), extremum unum qui apprehendit, alterum & extremum attraxit; ſic Spiritum qui attraxit, quemadmodum inquit Propheta, & Filium, & Patrem ſimul traxit per ipſum. Ergo ſi Pater in omni opere manuum ſuarum eſt a Filio, & Spiritu inſeparabilis; quiſnam præſertim in ipſo noſtri ortus exordio veram TRINITATIS profeſſionem, admirabilemque diſcretionem conjunctam, & conjunctionem diſcretam non intelliget? Non enim dixit, *facito*, ſed *faciamus hominem* (*e*): nimirum, teſtatur ipſemet Baſilius (*f*), ne qui Patrem agnoſceres, Filium ignorares; ut ſcires Patrem per Filium feciſſe, & Filium paterna creaſſe voluntate, hymniſque Patrem in Filio, & Filium in Sancto Spiritu extolleres. Homo igitur non qui foris eſt (*g*), hic enim corrumpitur, ſed qui intus, renovaturque de die in diem, a totius TRINITATIS cura, atque benignitate

(a) 1. *Petr.* 2. 9. (b) *Ezech.* 11. 19. (c) *Pſal.* 50. 12.
(d) *Epiſt.* 38. *ad Gregor. Fratrem. Edit. Maur.* (e) *Gen.* 1. 26.
(f) *Orat. I. de Hominis ſtructura.* (g) 2. *ad Corinth.* 4. 16.

te ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam creatus fuit: hujuſce vero *Trinitatis* Perſonæ in ejuſdem hominis juſtificationis negotium non conſpirabunt? Ergone ut efficeremur juſtitia Dei in Chriſto (*a*), iſtius cœleſtis hominis imaginem portantes, minus interfuiſſe *Trinitati* dicendum, quam ut imaginem terreni portaremus (*b*)?

Enimvero Pater, qui eſt Deus omnipotens, & clemens, cujus natura bonitas, cujus opus miſericordia eſt, ut optime teſtatur Sanctus Leo (*c*), ipſe profecto neque in conferendis beneficiis defatigatur, neque ab ingratis, aut flagitioſis hominibus ſuam voluntatem alienat. Filius autem, quem Deus conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula (*d*); ipſe ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ; ipſe lux in tenebris lucens (*e*), & ipſe Deus, miſericordia motus non vilem modo hominis naturam ſumpſit, ſed etiam contumeliarum mole tanquam fluctu obrutus ſacram ſubiit mortem, ut morte ſua vitam hominibus, libertatemque reſtitueret; & his eſſet via, quæ errare, veritas, quæ decipi, vitaque demum, quæ mortales occumbere non pateretur. Tandem Spiritus Sanctus, ex iis charitatis flammis, quibus ſeſe Pater, Filiuſque amplectuntur, procedens, ipſe quidem eſt, a quo pax, gaudium, & ſolatium, a quo juſtitia, integritas, & innocentia, a quo libertas, ſanctitas, & perfectio, omniaque cœleſtia munera proficiſcuntur. Quæ cum ita ſint, quis adeo penitus non perſpiciet concordiam trium Perſonarum, ne omnes

(a) *ibid.* 5. 21. (b) 1. *ad Corinth.* 15. 41.
(c) *Serm.* 2. *de Nat. Dom.* (d) *ad Hebræ.* 1. 2. & 3. (e) *Joan.* 15.

omnes pro nobis ſtare judicet? Quis eſt, qui harum conſenſum conſpirantem, & pene conflatum in noſtræ ſalutis opus non noverit? Credenda igitur, & ſuppliciter, demiſſeque colenda, & quoad ejus fieri poteſt, vehementiſſime amanda nobis eſt ſanctiſſima, & incomprehenſibilis *Trinitas*; Pater ſiquidem, qui creavit nos, Filius, qui redemit, & Spiritus Sanctus, qui nobis ſummam cœleſtium donorum copiam largitus eſt: Pater, inquam, cujus omnipotentia fulcimur, ac ſuſtentamur, Filius, cujus ſapientia nos regendos ſuſcipit, & Spiritus Sanctus, a cujus bonitatis fonte beatam vitam haurimus, & cujus charitatis igne omnes ad æternam gloriam, & ad ea, quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper terram, quærenda incenduntur. Sed ut nullum a nobis fidei, nullum venerationis, nullum amoris ſtudium *Trinitati* deeſſe videatur, decet, & convenit nobis omnipotentiæ Patris ſubmittere animum noſtrum, ejuſque dominatu regi, & nos ad Filii ſapientiam dedere, atque ipſius diſciplina doceri, & gubernari, poſtremo tandem eo de Spiritus Sancti bonitate confidere, ut ab ſui amoris illecebris nos pertrahi æqui bonique faciamus. Hinc finem, jam faciam; cumque in hominum mente quædam ejuſdem *Trinitatis* imago a ſanctis Patribus dignoſcatur, exclamare liceat cum Divo Bernardo (*a*): o beata, & beatificans *Trinitas*, ad te mea miſera trinitas miſerabiliter ſuſpirat; nam a te diſcedens multis doloribus, calamitatibus, & ærumnis involvitur.

FINIS.

(a) *Serm. II. ſup. Cant.*